Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXIII.

25. Novembris. 7. Cal. Decemb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45314

Visual Library

ret ac ſimul conſolaretur DEUS, ſub forma pauperis puelli & in nives abjecti, tibi iter facienti ſe obtulit. Quem cùm ineffabili pietatis ſenſu in ulnas acceptum foveres, atque ad vicinum hoſpitium contenderes, ſe oculis tuis, at non animo ſubduxit: nam tam vehemens dilectionis incendium poſt ſe reliquit, ut unum hoc in te deſiderium viveret, diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Ad cujus æternos amplexus poſt toleratos aliquot annorum dolores feliciter es admiſſus. *Eſt utique dulce incendium cordis, quod ardet amore Divino. Quam dulcedinem & ego procul dubio ſentirem, ſi hujus mundi amor, tanquam frigidiſſima nix, quodam deſidiæ gelu non cor meum conſtringeret.*

Chriſtũ ſub forma egeni ſuſcipit.

S. BERNARDUS, c. 3. de dil. Deo.

Fidelis anima & ſuſpirat præſentiam Dei inhianter, & in ejus memoria requieſcit ſuaviter: & donec idonea ſit revelata facie ſpeculari gloriam Dei, crucis ignominiâ gloriatur.

Amoris divini indoles.

25. *Novembris.* 7. *Cal. Decemb.*

B. CONRADE, Heiſterbacenſis Monache: qui centum vitæ tuæ

Fl. añ. 1221.

annos

annos in duas, eáſque diverſiſſimas rationes diſtinguens, primos 50. militiæ profanæ, reliquos religioſæ aſſignâſti: illis quidem non impiè tranſactis, his autem in admirabili fervore: quo tyrones tyro, & deinceps ætate compares longo poſt te intervallo reliquiſti. Pro tot laboribus ſtipendium jam certa ſpe occupâſti, paulo antè quàm ſtadium vitæ abſolveris: dum Lamberto ejuſdem cœnobii monacho oſtenſa fuit gloria tibi in cœlis præparata. *Nota eſt & mihi ex fidei dogmatis diviniſque promiſſis gloriæ illius cœleſtis inſcrutabilis magnitudo, quam ſcilicet nec oculus vidit, nec auris audivit. Hinc meritò damno cæcitatem meam, quâ tantam felicitatem non pro dignitate æſtimo ac deſidero.*

100. annorum miles.

Obijt. anno 1346.

B. GUILIELME, S. R. E. Cardinalis, titulo S. Stephani in Monte Cælio: ad quem honoris apicem non minùs reluctans promotus es, quàm anteà ex ſolitudinis Bolbonenſis quiete productus eras ad Epiſcopatum Arelatenſem. Muneri tamen ampliſſimo generoſum animum tuum non defuiſſe ad Eccleſiæ & S. Ordinis ornamentum, inter reliqua monumenta teſtatur Collegium S. BERNARDI Pariſiis, quod ædificiis & proventibus liberaliter auxiſti. *Apoſtolico munere à*

Chriſti

Chriſti Vicario donatus, egregijs operibus oſtendiſti, ſub quo duce militares. Tu fac ut & ego ſequar Chriſtum humilem, ut & exaltatum ſequi merear.

S. BERNARDUS, ſ. 2. de Aſcenſ. D.

Beatus, qui ubique te ducem habet Domine Jeſu, non illum transfugam ſpiritum, qui ſtatim aſcendere voluit, & tota divinitatis dextera percuſſus eſt. Nos autem popolus tuus & oves paſcuæ tuæ ſequamur te per te ad te: quia tu es via, veritas & vita: via exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio.

Qui ſequitur Chriſtū beatus.

26. Novembris. 6. Cal. Decemb.

B. WALTERE, Prior Alnenſis: qui tuis partim precibus, partim melliſluæ BERNARDI ſuadæ debes donum vocationis ad S. Ordinem Ciſtercienſem. Leodii enim Canonicis adſcriptus, cùm illo Legati Apoſtolici munus obeunte in Eccleſia Cathedrali inter lacrymas & preces DEO ſalutem animæ tuæ anxiè commendares, vocem audiviſti, quæ foras ire jubebat, & quid facto ſit opus audire. Egreſſus

Obijt anno 1200.

Loquela S. Bern. ad Claramvallem adducitur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN